



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Commvni,
Excommunicatione, Svspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Sectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

tutoris excommunicati, neque inuenitur ullum ius, in quo specialius hæc tutori prohibeatur: ergo non magis sunt irrita acta à tutore, quam à procuratore excommunicato; vel è contrario sicut à procuratore valida sunt, propter potestatem quam retinet, & quia prohibitio illa communicandi solum est generalis, quæ ad irritandum non sufficit, argumento cap. primi de Except. in 6. ita ob eadem duo principia acta à tutore valebunt: quia potestatem retinet, & prohibitio illi facta solum est illa communis de communicando, quæ ad irritandum non sufficit.

Vnde principium illud, quod acta ratione publici officii inuolida sunt, vel firmum non est, vel æque procedit in procuratore, vel si aliquo modo limitetur, ut procuratorem non comprehendat, eadè ratione tutorè excipiemus. Declaratur assumptum, quia etiam procuratoris munus publicum est, æque ac officium tutoris. Deinde superius ostendimus, quæ sit difficile illud principium probare vni, persaliter, præsertim de officiis temporalibus, & quæ iurisdictionem non includunt. Nunc vero addimus, esse locum habere in officiis, quæ auctoritate & utilitate publica sunt, non vero in iis quæ licet auctoritate publica dentur, quoad utilitatem tamen & finem proprium priuata sunt. Hac enim distinctione utitur in hac materia Abbas Syluester, & alii supra citati: & in præfenti videtur maxime accommodanda. Nam hac solatione acta à procuratore valida sunt, quia officium eius licet auctoritate sit publicum, non tamen utilitate: simile autem est officium tutoris, ut omnes docent, & per se notum est.

Ac merito quidem limitatur illud principium ad officia auctoritate & utilitate publica, ut est officium iudicis, & similia, tum quia si aliqua iura sunt ex quibus principium illud colligatur, de huiusmodi officiis loquuntur, & restringenda sunt in materia odiosa: tum etiam quia officium publicum sola auctoritate extrinsece tantum, & per respectum ad causam efficientem publicum est: in se tamen est priuatum, præsertim quoad actiones, cum ad priuatam utilitatem ordinetur, ut maxime patet in officio tutoris: & ideo non fuit æqualis ratio, ut acta virtute talis muneris irritarentur. Ob hæc ergo rationes idem iudicandum censeo de tutore, quod de procuratore: repellendum scilicet, esse ne excommunicatus suo munere utatur; si tamen non repellatur, acta eius valere. Et ob similem discursum censeo idem dicendum esse de officio tutoris, si excommunicato conferatur, quod de procuratore diximus, scilicet valide conferri, quamuis male fiat, propter easdem rationes, quas de procuratore fecimus: & ita tenent aliqui Canonistæ in capit. Intelleximus, de Iudiciis, licet alij oppositum sentiant. sed de his effectibus hæc nobis dixisse sufficiat.

DISPUTATIO XVII.

De aliis remotis effectibus excommunicationis, tam in excommunicato, quam in participantibus cum ipso, & brevis omnium effectuum summa.

IN ANTE Disputationem addo ad huius materie complementum, & maiorem comprehensionem: quia enim latissima est, oportet eam in breuem summam redigere & non nullos effectus addere, qui ab excommunicatione originem ducunt, quamuis remotiores, & quasi per accidens sunt: quia vero in his effectibus duæ personæ interueniunt, scilicet, excommunicatus, & qui eum illo

communicat, de quibus promiscue in superioribus diximus: ideo, ut clara etiam sit doctrina, nunc de illis distincte, & sigillatim dicamus.

SECTIO I.

Verum Præter effectus supra numeratos aliqui alii sunt, et excommunicatio in ipso excommunicato.

MULTA sunt incommoda, quæ ipsi excommunicato ex hac censura proueniunt, quæ tamen ad animam, tum ad corpus, tum ad actiones externas, & bona pertinent, & ad minimū possunt in duodecim numerari. Primum est, quod priuatur excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis. Secundum quod priuatur passiuæ communicatione sacramentorum, quamuis per se & vi sua illa non efficiat nulla, & consequenter etiam priuatur omni communicatione in sacris, & Ecclesiastica sepultura. Tertium, quod priuatur eam actiuā administratione sacramentorum, quamuis non annulet nisi illud tantum, quod ad sui valorem iurisdictionem requirit. Quartum quod priuatur omni vlti iurisdictione, actiuā iurisdictionem tollendo, tamen in foro interiori poenitentia, quam in foro contentioso, vel Ecclesiastico, vel (ut probabilius creditur) etiam seculari, & huc spectat, quod si princeps sit, eius subditi à fidelitate etiam iuramento firmata absoluti manent, præsertim post declarationem sententiam. Quintum quod Ecclesiasticas personas suspendit tam ab officio, quam ab Ecclesiastico beneficio, ita ut acquisitionem dominii proventuum Ecclesiasticorum, & eorum administrationem impediatur. Sextum etiam in personis Ecclesiasticis, quod reddat personam incapacem, & ineligibilem ad Ecclesiasticum beneficium. Septimum, quod neque eligere potest ad Ecclesiasticum beneficium, neque electio ab ipso facta valeat, quamuis enim hoc posset sub suspensione ab officio vel priuatione iurisdictionis comprehendi: tamen quia incertum est, an electio sit dicenda actus iurisdictionis, vel Ecclesiastici officii, ideo distincte numeratur. Octauum quod excommunicatus excludatur ab omnibus actibus forensibus, sola sui defensione excepta: & in hoc multa includuntur, nimirum quod nec actor, neque testis, neque aduocatus, neque procurator esse potest, quia ab his omnibus in iuribus abstinere tenetur, & repelli potest, & debet, si sit publice excommunicatus; si autem non repellatur, acta eius irrita non sunt. Nonum, quod simili modo prohibita illi est, omnis humana pactio, & consequenter omnis contractus, & usus cuiuslibet officij, seu ministerij publici, quod humanam communicationem requirat: quanquam non statim inuolida sint omnia, quæ in hoc genere ab illo aguntur, nisi iurisdictionem requirant. Decimum, quod hinc consequenter prohibitus est, ne ad dignitates temporales, vel officia, aut ministeria ciuilia & temporalia eligi, vel assumi possit: quanquam, si assumatur non statim electio vel collatio muneris irrita sit, præsertim si officium vel dignitas iurisdictionem non includat. Vndecimum, & generale incommodium est, quod priuatur omni humana communicatione politica, & humana cum aliis fidelibus quoad vitatas actiones salutandi, colloquendi, &c. Quæ omnia in præcedentibus late sunt à nobis exposita, & (respective) sumpta sunt ex variis decretis 11. q. 3, fere per totam, & 15. q. 6. in vltimis capitibus, & 24. q. 1. c. Audiuimus, & ex titulis de Sent. excomm. & de cleric. excomm. minist. tum Extra, tum etiam in 6. & ex

& ex c. *Pastoralis*. §. *Verum*, & capit. *Constitutis*, primo de Appellat. & cap. *Cum inter*, de Elect. cap. *Cum dilectus*, de Consecrat. & c. *Adversus*, de immunit. Ecclesiæ. c. *Adprobandum*, de Re iudic. c. *Post cessionem*, de Probat. cap. *ult. de procur.* c. de Excep. & c. i. eod. tituli. in 6. & cap. *Sacris*, de Sepult. & cap. *Sacris*, de ijs quæ vi, & alijs similibus.

Quibus adiungere possumus duodecimum effectum, quod literæ Apostolicæ ab excommunicato imperante, & processus virtute illarum habitus ipso iure irrita sunt, præterquam super excommunicationis, vel appellationis articulo: qui effectus est expressus in cap. i. de Rescript. in 6. eamque in superioribus tetigimus, non tamen latius exposuimus, tum quia hodie fere nullius est considerationis, quia semper in rescriptis præmittitur clausula abolutionis ad valorem eorum, adeo vniuersalis, vt oēs censuras comprehendat, vt notauit Nauarrus, in c. *Ira quatuordecim*, de Iudeis, notab. 11. circa Glossam ult. n. 14. adhibens moderationem quam infra declarabo. Posset vero quæri, an textus ille intelligendus sit de rescriptis solius Papæ, vel etiam Episcoporum, & aliorum ordinariarum: quam questionem attigit Nauarrus tom. 2. Confil. lib. 5. tit. de Sent. excom. confil. 44. & resoluit hunc effectum non habere locum in rescriptis, seu facultatibus, aut licentijs ab inferioribus prælatis concessis suis inferioribus, nam valida sunt, etiam illi quibus conceduntur, sint excommunicati tempore concessionis: quia rescriptum simpliciter dictum in iure non comprehendit nisi rescripta supremorum Principum: & propter multa alia, quæ ibi adducit, quæ mihi videntur hanc partem satis probabilem, & securam efficere. Quibus solum addo materiam esse odiosam: ideoque restringendam, quantum vsus verborum patitur. Accedit, communem interpretationem, atque etiam consuetudinem huic parti fauere.

Rursus quæri potest an hic effectus intelligendus sit de solis rescriptis Pontificalibus, & Ecclesiasticis, vel etiam de Imperialibus, seu Regalibus & secularibus. Nauarrus enim citato loco numero secundo, & sexto pro comperto supponit in his omnibus locum habere: atque dispensationem, vel facultatem quamlibet à Rege impetratam per excommunicatum, ipso iure irritam esse. Fundamentum esse videtur, quia Pontifex ibi absolute loquitur de rescriptis, & non limitat ad sola Pontificalia: rescriptum autem simpliciter dictum, etiam secundum morem loquendi iuris canonici: non tantum Pontificalia, sed etiam Imperialia rescripta comprehendere solet, vt videre licet, vigesima quinta, questione secunda, & alijs. In contrarium autem mihi occurrit, primo, quod verba illius textus intelligenda sunt iuxta verba rubricæ, seu tituli, sub quo textus continetur: titulus autem ille, quamuis de rescriptis simpliciter inscribatur, non est nisi de Ecclesiasticis rescriptis, vt ex auctore, sine, & discursu illius tituli, tam ibi, quam in Decretalibus colligi potest, & ex similibus titulis: nam cum Pontifex agit de Constitutionibus, verbi gratia, non de secularibus, sed Ecclesiasticis tractat: sic ergo agens de rescriptis, de Pontificiis, non de secularibus loquitur: ergo de eisdem optime intelligitur textus ille, in quo rescriptum ab excommunicato impetratum annullatur. Accedit, quod ipsa exceptio, quo in eadem lege additur, scilicet, præterquam super excommunicationis articulum, indicat satis sermonem esse de Ecclesiastico rescripto. Itē Glossa, & interpretes tantum de hoc loquuntur, & nullam video ab eis mentionem fieri secularium rescriptorum. Denique cum materia sit odiosa, videtur potius restringenda, quam amplianda, maxime cum hæc interpretatio satis legitima esse videatur. Quod si in illo capitulo primo talia rescripta non annullantur, cum in nullo alio fiant irrita,

A valida erunt, cum solum pendeant, ex voluntate concedentis, quæ per se efficax est, seclusa lege prohibente iuxta legem, *Vniuersis*, Cod. de Precibus Imperatori offerendis. Propter quæ ego in hanc partem maxime propensus sum: nihil tamen audeo definire in re graui, quia non inuenio auctorem expresse hoc asserentem, sed potius aliquando videntur auctores indifferenter loqui, præsertim Sumista, vt videre licet in Syluestro & alijs, verbo, *Rescriptum*.

Vltimo inquiri potest circa hunc effectum an locum habeat in excommunicato occulto vel solum in publico, Nauarrus supra numero octauo, refert Archidiaconi sententiam dicentis, caput illud non comprehendere excommunicatum occultum, sed solum publicum. Et quamuis (inquit Nauarrus) contrarium ibi teneat communis opinio, sed grandis eius auctoritas, adiunctis prædictis rationibus, multum memouet in contrariam partem. Sed nihilominus cenfeo veriore esse communem sententiam, quæ tenet etiam Syluester, verbo, *Rescriptum*, numero secundo in fine, citans Directorium, scilicet, quamuis excommunicatus sit omnino secretus, rescriptum ab eo impetratum, ipso iure nullum esse, quia textus ille simpliciter & absolute de excommunicato loquitur, vnde sine fundamento restringeretur ad excommunicatum occultum, præsertim cū lex illa in odium excommunicationis lata sit, & excommunicato occulto nullus fauor fiat, argumento Extraneantis, *Aduenianda*. Vnde solum posset hic excipi casus, in quo excommunicatus occultus virtute talis rescripti aliquid ageret titulo alicuius publici muneris: tunc enim non in fauorem eius, sed boni communis factum teneret, vt sæpe dictum est in similibus ex lege, *Barbarius*, ff. de Officio Prætor. Vnde addo, etiam in foro conscientie, & ante iudicis condemnationem, vel declarationem tale rescriptum nullum esse: quanquam hoc sine causa in dubium reuocet Nauarrus supra dicto cap. septimo, eo quod illa lex poenalis sit; sed hoc nihil refert, quia in his effectibus priuatiuis, & ad censuram pertinet, quæ secum affert executionem, si effectus simpliciter ipso iure imponitur, statim fit, seu irritat, & annullat: in textu autem illo verba sunt satis expressa, vbi Glossa notauit, quam ceteri sequuntur. Est ergo tale rescriptum statim, & absque alia sententia in se nullum, & ideo quantumuis excommunicatus occultus sit, tenebitur in conscientia non vti tali rescripto, vt in terminis notauit Syluester supra ex Directorio.

Alii effectus remoti excommunicationis in excommunicato.

P Ræter hos effectus, quos per se & immediate excommunicatio operatur in ipsum excommunicatum, possumus alios addere, qui sunt remoti, & per accidens, & partim etiam in superioribus tacti sunt, partim hic explicabuntur. Præsertim ergo inter hos effectus est irregularitas, quam incurrit excommunicatus clericus officium alicuius ordinis exercendo: nam excommunicatio per se & immediate non inducit hunc effectum, sed proxima eius causa est culpa illa quæ committitur sciministrando, quasi iniuriam ipsius excommunicationis; excommunicatio autem est quasi materia, vel occasio temota talis irregularitatis, de qua in superioribus satis à nobis dictum est.

Alius & præcipuus effectus, quem hic exponere oportet, est, quia si excommunicatus per annum in excommunicatione persistat, suspectus de hæresi fiet. Ita affirmant communiter Canonistæ cum Glossa

Gloss.
Simancas
Covarr.
Director.
Inquisit.
Cone. Trid.

Glossa in cap. *Contingit*, de Dolo & contumacia. & referunt latius Simancas in Cathol. instit. c. 27. & Covarruias cap. *Alma mater*, p. 5. n. 10. & Direct. Inquisit. 2. p. q. 47. & latè Vgolin. tab. 1. de Cens. c. 14. §. 3. n. 3. Quæ sententia ratione videtur fundata: non enim inuenio textum iuris communis, in quo expressè hoc caueatur, præter cap. *Cum contumacia*, de Hæretic. in 6. ubi non de quolibet excommunicato sermo est, sed de illo, qui antea erat suspectus de hæresi, & vocatus, ut de fide responderet, non compareret, & propter talem contumaciam excommunicatus, per annum in illa excommunicatione perseverat; nam de illo dicitur esse ut hæreticum condemnandum propter vehementem præsumptionem, & contumaciam in tali materia. Hinc vero facta est extensio ad omnem excommunicatum, per annum in tali censura perseverantem: nam is & claves Ecclesiæ, & suffragia, & sacramenta contemnere videtur, ideoque in suspicionem venit quod male de illis sentiat, ac per hoc suspensus in fide efficitur. Quæ sententiam confirmavit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 3. de Reformatione in fine, dicens, *Contra hunc tanquam de hæresi suspectum procedi posse*. Est autem hæc suspensio levis, & hoc operatur, ut sic suspectus sese canonicè purgare teneatur, & nisi id faciat pro convicto habeatur.

His consequens est, ut huiusmodi excommunicatus per annum infordescens, si persona Ecclesiastica sit, & habeat beneficia, illis priuandus sit, ita affirmat Covarruias supra cum Canonistis in cap. *Cum bonæ*, de A. Etate & qualitate, & in cap. *Rursus*, 11. quæst. 3. Inter quos est quæstio an sic infordescens ipso iure beneficiis priuatus sit, vel priuatus veniat. Innocentius enim, & alij primum affirmarunt. Sed nullum in iure inuenio eius sententiæ fundamentum: imo vix potest secundum probari ex iure. Nam illud cap. *Rursus*, quod ad hoc probandum citari solet, rem longe diuersam constituit, nimirum ut excommunicatus, pro aliquo crimine, si se suamque innocentiam defendere voluerit, intra annum excommunicationis hoc faciat: si autem per annum id facere neglexerit, postea nulla eius vox penitus audiat; & idem statuitur ibidem in cap. sequent. Hoc autem longe diuersum est, ut per se patet: quia ibi de beneficiis non agitur, sed de præsumptione vehementi, quæ ob contumaciam & nimiam dilationem, pro sufficiente probatione ad condemnationem sufficere iura illa statuunt, ut latius Canonistæ disputant. Inde vero inferre non licet quidquid de priuatione beneficii, cum hæc inter se nec similitudinem, nec connexionem habeant, nisi fortasse tale sit crimen, pro quo lata est excommunicatio, ut propter illud quis sit ipso iure beneficio priuatus: tunc enim non propter contumaciam, & infordescitiam (ut aiunt) vnus anni, sed pro alio delicto beneficio priuatur, quod ad rem præsentem impertinens est. Itaque pro certo habeo hunc non esse ipso iure beneficiis priuatum.

Quod autem priuandus sit per iudicis sententiam, aliqui affirmant; sed textum non afferunt in quo talis poena præscribitur. Et ideo Abbas in ca. 1. de Iudicijs id negat, nisi talis sit causa excommunicationis, ut, si sufficienter in iudicio probetur, propter eam possit quis beneficiis priuari: nam quia per illam vnus anni pertinaciam sufficienter probata censetur culpa, iuxta dictum c. *Rursus*, cum sequente. 11. q. 3. ideo tunc poterit beneficiis priuari, sed illud non est propter dictam pertinaciam, & ideo ad rem præsentem non refert, ut dixi. Alij vero dicunt vnus anni pertinaciam non sufficere ad hunc effectum: maiorem tamen sufficere: quod significat Covarruias dicto num. 10. dum ait priuari beneficijs ex eo quod non tantum anno, sed longiori tempore durauit in ea contumacia. Quantum vero esse debeat tempus illud, non declarat, significat tamen minus

quam triennium sufficere, & deduci ait ex cap. *Cum bonæ*, de A. Etate. & qualitate. Vbi suspensus pro contumacia, & in suspensione per triennium perseverans, beneficijs, quæ antea habebat, priuari præcipitur: ibi enim illud tempus non præcise præscribitur, sed solum, quia nimia fuerat pertinacia, digna illa poena declaratur. Unde insinuat, quoties pertinacia fuerit nimia, etiam si ad illam durationem non attingat, posse illa poena puniri; videtur autem esse nimia quoties annum excedit. Veruntamen cum iam hoc arbitrium sit, etiam illa quæ attigerit vnus annus existimari poterit nimia, & sufficiens ad illam poenam: maxime cum alia iura illa mensura vnus anni vtantur ad alios effectus, ut ad suspensionem hærelis & ad probationem delicti. Et ideo fortasse Glossa vltima in dicto c. *Cum bonæ*, dixit ex quo per annum, & vltra quis permanet in excommunicatione, priuari debere beneficijs.

Itaque in hac re nihil inuenio certo iure statutum, præter illud quod in dicto cap. *Cum bonæ*, expresse continetur, eum scilicet, qui per triennium in contumacia perseverat, priuandum esse beneficijs, ut ibi notant Decius, & alij. Atque hoc existimo ita pertinere ad officium iudicis, ut sub obligationem cadat. Infra illud vero tempus opinor rem esse arbitriam, & posse quidem iudicem priuare excommunicatum infordescentem per annum, vel vltra, suis beneficijs, præcise ob tantam pertinaciam, propter dictas coniecturas ex iuribus desumptas adiuncta communi interpretatione & opinione. Et præterea, quia, ut Covarruias notat ex Felino, & alijs, etiam ante annum potest quis temporaliter puniri propter contumaciam in excommunicatione, & affert leges Hispaniæ, in quibus hoc peculiariter statuitur: multo ergo magis possunt iudices Ecclesiastici prudenti arbitrio hoc condigne punire: ergo cum post annum expletum iam ille sit ita odiosus Ecclesiæ, ut pro publico criminoso, & pro suspecto de hæresi habeatur, merito censeri potest dignus beneficiorum priuatione. Quia tamen hoc arbitrium est, & non est lege statutum, non videntur teneri iudices in conscientia ad id semper exequendum; nam tales possunt circumstantiæ occurrere, ut prudenter iudicent non expedire, aut non esse æquum talem poenam imponere. Maxime vero animaduertere debent, ut hæc permanentia in excommunicatione ex contumacia orta sit: nam, si proueniat ex aliqua impotentia, vel ignorantia, idque probabile in iudicio fiat, non debet illa poena puniri; argumento dicti cap. *Cum bonæ*, ibi *Pro tanta pertinacia*. Quod pro omnibus quæ de hoc effectu diximus obseruandum est.

Vltimo addendum hic est: quod de huiusmodi excommunicato per annum infordescente Doctores aduertunt, nimirum illum non frui absolute illa generali, quæ secundum Curiam stilum in rescriptis Pontificis præmitti solet ad effectum valoris gaudet geororum, ut notauit Rebuffus in sua praxi beneficiorum, in forma, & declarat. nou. prouif. num. 10. & Naua. in c. *Ita quorundam*, de Iudicijs notab. 11. in Gloss. vlti. num. 14. Vbi refert regulam Cancellariæ, quæ de infordescens appellatur: in qua plures casus excommunicationis numerantur, in quibus infordescens quatuor mensium ad hunc effectum sufficit. Quod tamen semper intelligitur cum dicta moderatione, ut duratio illa ex contumacia nascatur, & non ex alia ratione, quæ excusationem inducat: quia tunc sicut cessat ratio culpæ, ita & rigor poenæ arg. c. 2. de cons. cum similibus.

7.
Quæ poena
incurrat
in ex-
com. per
annum
perse-
uerans

Innocentius
opinio
Reuocatur.

8.
Aliorum
opinio
Abb.

Covarr.

SECTIO II.

Quidnam operetur excommunicatio maior in his qui cum excommunicato participant.



Voniam in superioribus de participantibus speciatim non disputauimus omnia, quæ ad eos pertinent: hic breuiter commemorabimus, & in summâ redigemus. Principio ergo aduertendum est tria esse genera participantium cum excommunicato, scilicet in crimine propter quod excommunicatus est, in diuinis seu sacris actionibus, & in humanis siue politicis, seu forensibus. Quibus omnibus commune hoc est, vt nulla sit participatio cum excommunicato, nisi eius excommunicationem iâ contractam supponat: nam quæ antecedit, etiam si sit in ipso crimine propter quod lata est excommunicatione, non est participatio cum excommunicato: formaliter enim illa determinatio accipienda est: alias, ad effectum excommunicationis nihil pertinet, vt notat Felin. in c. Si concubine, de Sent. excomm. Deinde nulla est propria participatio cum excommunicato, vt nunc loquimur, nisi sit excommunicatus vitandus: qualis nunc solum est nominati denuntiatus vel manifestus percussor clericus, vt nunc suppono ex supra dictis circa Extrauag. Ad eustandâ. Debet autem hoc intelligi de participatione secundum communicationem externam: nâ quoad internam, quæ est in suffragiis, vel orationibus communibus, supra diximus ius antiquum mansisse integrum: omnemque excommunicatum esse ab his suffragiis exclusum, non vero ab omni alia communicatione cum fidelibus. Tertio oportet vt quælibet ex his communicationibus sit prohibita hoc ipso quod quis excommunicatus est: quamquam hoc non semper sufficiat ad formalem participationem eius, qui cum excommunicato communicat. Declaratur prior pars, nam excommunicatio non omnis communicatio, & in omni oportunitate prohibita est, sed quæ nec ad salutem animæ, nec corporis, nec ad graue damnum vitandum necessaria sit: quæ uero in iure explicite, vel implicite non excipitur: ergo quoties in ijs communicat, quæ illi concessa sunt, communicare cum illo, non est participare cum excommunicato proprie ac formaliter quatenus excommunicatus est, sed cum eo, quæ esse excommunicatum, impertinens est ad illam communicationem. Altera pars exponitur, quia oportet communicationem esse voluntariam, ita vt per ignorantiam, vel vim non excusetur, alias dici non potest formalis participatio.

His positis duos effectus in genere operatur excommunicatio in aliis fidelibus, quoad hanc participationem. Vnus est per se, & immediatus, scilicet obligatio ad vitandas dictas participationes cum excommunicato. Secundus est magis remotus, & quasi per accidens, videlicet aliqua censura, vel poena, quam incurrunt participantes cum excommunicato aliquo ex dictis tribus modis. Hi autem duo effectus non sunt æquales in omnibus dictis participationibus: & ideo in singulis eos breuiter explicare necesse est.

Circa participationem ergo in crimine aduertendum est, quamuis iure naturæ intrinsece malum sit ac per se prohibitum participare cum aliquo in crimine eius: nihilominus quoties aliquis excommunicatur pro aliquo crimine, speciali præcepto Ecclesiastico prohiberi omnes alios fideles, ne cum illo participant, vel cooperentur ad contumaciam in tali crimine. Hoc colligitur ex c. Nuper, & ex c. Si concubine, de Sent. excomm. Sicigitur habet omnis excommunicatio maior priorem ex dictis effectibus in hoc genere participationis. Dices, Interdum

A in multis excommunicationibus declaratur, vt in eis comprehendantur omnes dantes auxilium, fauorem, &c. signum ergo est, non omnem excommunicationem includere hoc peculiare præceptum Ecclesiasticum. Respondetur, hoc esse verum de illa participatione in crimine, quæ est ad committendum ipsum crimen, prius quam incuratur excommunicatio, seu propter quod incurritur excommunicatio: de illo enim loquuntur similia præcepta: nos autem agimus, vt in principio dixi, de participatione cum eo, qui iam excommunicatus supponitur: & ideo non dixi hoc præceptum inclusum in excommunicatione vnus respectu aliorum esse de non participando in commissione criminis, quæ ad excommunicationem supponitur, sed in contumacia in crimine commissio, quæ post excommunicationem durare solet: quam doctrinam bene indicauit Nauarrus cap. 27. num. 32.

Secundus vero effectus excommunicationis quoad sic participantes est, quia eandem incurrunt excommunicationem maiorem, quæ ipsi principali delinquenti imposita est. Ita habetur in dicto cap. Nuper, quatenus in eo definitur, participantem in crimine cum excommunicato excommunicationem incurrere, à qua non potest absolui nisi ab illo, à quo ipse criminofus absolui potest: inde enim constat illam excommunicationem esse maiorem. Et duplex ratio redditur: quia agentem & consentientem par poena contrahere debet; & quia sic participans in crimine damnato, ipsum damnantem offendit. Quæ fuerunt rationes mouentes ad statuendum tale ius. Ex eodem principio dicitur in dicto cap. Si concubina, excommunicationem maiorem latam in concubinas clericorum, ex consequenti comprehendere ipsos Clericos concubinarios, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine talibus concubinis, quia scilicet talis excommunicatio vniuersaliter ad participantes extenditur: non enim tanquâ speciale in illo crimine hoc ibi statuitur, sed ex generali regula inferitur. Et propter hæc, & similia decreta dicitur in cap. Statuimus, de Sent. excomm. in 6. participantes cum excommunicato non debere à iudicibus generatim excommunicatione maiori damnari, saluis constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato.

Atque ex hoc secundo effectû confirmatur primus: quia Ecclesia non ferret hanc censuram in huiusmodi participantes, nisi in illa participatione specialiter essent contumaces, & inobedientes præcepto eiusdem Ecclesiæ: ergo non solum illa participatio in crimine per se mala est, sed etiam speciali præcepto ab Ecclesia prohibetur, & tam prohibitio quam censura in illis iuribus continetur. Quid autem necessarium est ad huiusmodi censuram contrahendam propter hanc participationem? Respondetur, primum vt sit communicatio cum eo, qui iam excommunicatus est, vt dixi, & consequenter vt is, qui communicat, sciat alium esse excommunicatum: nam si id ignoret, excusabitur à contumacia, & consequenter à censura, dummodo ignorantia talis sit, quæ ad accusandum sufficiat, iuxta principia superius tradita de censuris in communi. Sed an necessarium sit excommunicatum illum esse denunciatum, & hoc sciri ab ipso, qui cum eo in crimine participat, propter Extrauagantem, Ad eustandâ: nam antea sufficiebat scientia excommunicationis, nunc autem, sicut non tenemur vitare excommunicatum, nisi denunciatum, ita non videmur teneri ex præcepto speciali Ecclesiæ ad vitandum illum etiam in crimine, nisi denunciatus sit, quâuis alioqui ad id teneamur naturali, & diuino iure: tando sufficit, ergo non incurratur dicta excommunicatio sic participando cum excommunicato non denunciato. Atque ita affirmat Nauarrus dicto cap. 27. numer.

Vide Feli-
um dicit. e.
Si concub.
Nauarr.

112. Quæ sententia difficilis quidem apparere potest, quia vix credibile est voluisse Concilium Constantiense, aut Basiliense auferre specialem obligationem Ecclesiasticam non communicandi in crimine excommunicato, cum hæres per se, & intrinsece mala sit: & ideo vtile esse non potuerit talē prohibitionē auferre. Nihilominus tamē quia materia fauorabilis est, & verba Extrauagantis absoluta, & generalia sunt, sententiam illam probandam censeo: nam auferre talem prohibitionem vtile esse potuit ad vitanda scandala, & pericula: qui fuit finis illius Extrauagantis. Necessarium ergo est, vt talis communicatio sit cum excommunicato denunciato.

In quo cri-
mine de-
beat esse
hæc com-
municatio.

Opportet etiam, vt sit communicatio in crimine propter quod excommunicatus est. Hoc est enim, quod dicitur in dicto cap. *Sicutimus*, in crimine damnato. Et ratio est clara ex dictis, quia alias non esset communicatio hoc speciali modo contraria, & iniuriola excommunicationi. Vnde si Petrus esset excommunicatus propter futurum in tali Ecclesia factum, & Paulus postea cum eo communicaret in crimine damnato: secus vero esset, si ille fuisset excommunicatus, quia fur absolute: postea enim cum illo communicando in quocunque furto, iam esset excommunicatio in crimine damnato; & sic de alijs similibus. Denique qualis debeat esse hæc communicatio, seu participatio, bene declarat Richardus in 4. dist. 18. art. 9. quæst. 2. dicens necessarium esse, vt aliquis per se moraliter influat, seu cooperetur ad crimen alterius, quatenus tale est, & sub tali censura prohibetur, siue id sit dando auxiliū, siue fauorem, aut consilium, iuxta dictum capit. *Nuper*: non autem satis erit fauere ipsi personæ, vel secundum se, vel in alio opere, licet inde ex accidente, seu indirecte resulet excommunicatum fieri potentiorē, animosiorē ad suum crimen continuandum.

7.
Censura
hæc est lata
a iure.
Communis.

Atque ex his intelligitur, hanc censuram esse ipsi iure latam, non ab homine, etiam quando ipse principaliter excommunicatus ab homine ligatus est: quod notauit Couarruias in capit. *Alma*, 1. par. §. 3. numero 5. & dicit esse communem sententiam: Ac merito: nam aperte colligitur ex dicto ca. *Sicutimus* in illis verbis, *Salus constitutionibus contra illos legitime promulgatis*, &c. Hic ergo effectus ex illis constitutionibus proxime nascitur. Item peculiare illud ius Ecclesiasticum, quo hæc communicatio in crimine strictius prohibita est, ius commune est: & illi est per se & virtute sua annexa hæc censura: ergo ipso iure incurritur. Cuius argumentum etiam est, quia licet iudex alterum excommunicatus, velit ab hac obligatione, & censura excipere excommunicantes in tali crimine, non poterit: cuius ratio non est alia, nisi quia non eius voluntate fertur, sed posita priori excommunicatione necessario consequitur ex vi ipsius iuris. Sicut excommunicatio minor, quæ incurritur propter alias communicationes, licet interdum supponat excommunicationem maiorem ab homine latam, ipsa tamen semper ex vi iuris incurritur: & non iudicis, sed iuris existit, vt expresse asseritur in dicto cap. *Nuper*. Vbi etiam ponderanda sunt illa verba: *Quamuis enim & tunc*, &c. nam per ea manifeste æquiparantur quoad hoc excommunicatio maior, quæ incurritur propter communicationem in crimine: & minor, quæ ob communem communicationem, scilicet, quod vtrique est à iure. Atque hinc fit, vt sicut Episcopus, qui aliquem excommunicauit communicando cum illo in actionibus vulgaribus, in minorem excommunicationem incidit, ita, si cum eodem communicet in crimine, incidet in maiorem: est enim eadem vtrique ratio, quia vtrique poena ipso iure imposita est, cui omnis excommunicator est subie-

ctus, præter Summum Pontificem: quod tamen non procederet, si hæc excommunicatio esset ab homine: quia nemo potest seipsum excommunicare.

Tandem addendum est, huiusmodi censuram esse reseruatam ei, qui illum excommunicauit, cum quo in crimine participatur. Ita cauetur in dicto cap. *Nuper*. Quod factum esse videtur quali in satisfactionem eius: quia sic participans cum excommunicato, excommunicationem maxime offendere videtur. Quapropter si excommunicatio principalis erat à iure, & non reseruata excommunicatione participantis, in eodem ordine manebit, & à quocunque ordinario tolli poterit: si autem prior sit reseruata, altera etiam eidem reseruata erit: si vero prior excommunicatio sit ab homine, sicut hæc non tollitur nisi ab eo, qui eam tulit; ita neque altera: Nunquam tamen excluditur Superior, iuxta tradita supra de censuris in communi, & adnotatur in dicto cap. *Nuper*. Vnde in eo casu si contingat, excommunicatum participare in crimine cum excommunicato à se, à Superiori tantum absolui poterit, cum non possit ipse absolueri seipsum: quamuis probabile sit, posse alteri suam potestatem committere, & ita ab alio per iurisdictionem à se delegatam absolui, sicut absoluit Pontifex à peccatis; de quo alias. Aduertit autem Nauarrus in dicto numero 112. hunc participantem in crimine cum excommunicato, non semel tantum, sed toties hanc censuram incurere, quoties cum illo in crimine participat: quia toties agit contra canonem. Vnde fit, vt tunc pluribus absolutionibus indigeat, vel vna quæ in plures censuras feratur, iuxta superius dicta de censuris in communi.

Quæ pte
ad hanc
communicationem
ne alij
74.

Nauarra.

De excommunicatione in diuinis cum excommunicato.

Circa secundum punctum de participatione in sacris, seu diuinis, nihil fere addendum superest: nam in superioribus factis declarauimus duos illos effectus, quos excommunicatio habet circa hanc communicationem, scilicet prohibitionem, & poenam. Et de priori ostendimus esse adeo grauem, vt ex genere suo obliget sub mortali, quam ex leuitate materie possit esse veniale, & interdum possit habere iustam excusationem ignorantie, vel necessitatis, vt ibi satis explicuimus. De secundo vero effectu diximus, generatim loquendo, nullam poenam, vel censuram nouam hinc resultare, præter excommunicationem minorem, quæ pro qualibet communicatione cum excommunicato incurritur. Dico autem generatim: nam Clerici exercentes diuina, vel ad illa admittentes excommunicatos, interdum sunt irregulares, interdum suspenduntur, aliquando concurrentibus multis conditionibus maiorem excommunicationem incurrunt Papæ reseruatam; iuxta cap. *Significauit*, de Sententia excommunic. Quæ omnia cum in Superioribus late tractata sint, hic repetere non est necesse. Sicut etiam posset hic addi limitatio de excommunicatione maiori iis imposita, qui excommunicatum Ecclesiasticæ tradunt sepulture: nam illa etiam est quædam communicatio in sacris; tamen illam etiam fuisse explicuimus supra, de illa communicatione differentes.

De communicatione vulgari cum excommunicato.

Circa tertium punctum de quauis alia externa & vulgari communicatione, satis etiam ex superioribus constat duo illa, quæ hic proposuimus: scilicet obligatio, & poena: nam obligatio-

10.

nem ostendimus ex variis iuribus, quæ de hac re lo-
quuntur: eamque ita grauem esse declarauimus, vt
in illa etiam materia saepe obliget sub mortali:
quamuis in singulis actionibus humanæ, & politicæ
communicationis, regulariter loquendo, & secluso
contemptu solum obliget sub veniali. De poena vero
certum est ibi non interuenire aliam censuram,
præter excommunicationem minorem loquendo
de censura ipso iure lata: nam ab homine interdum
extenditur excommunicatio maior ad communi-
cantes cum excommunicato, in hoc genere com-
municationis: illa vero ferri non potest per senten-
tiam generalem, sed per specialem in determina-
tam personam, trinaque monitione præmissa: & a-
liter lata huiusmodi excommunicatio nulla existit, B
iuxta cap. Statuimus, de Sententia excommuni-
cationis, in 6. Et hætenus de effectibus excommuni-
cationis.

DISPUTATIO XVIII.

De causis maioris excommunicationis.

Materia hæc in superiori tractatu
de Censuris in communi co-
piose disputata est, & fere om-
nia, quæ diximus, maxime in
excommunicatione locum habent: ideo-
que solum necesse est breuissime collige-
re, quæ ad hanc censuram pertineant, & si
quid speciale superest, illud addere. Et ean-
dem rationem, quamuis de singulis causis
propriis disputationes supra instituerimus
in præfenti hac vnica omnes comprehen-
demus.

SECTIO I.

Quis possit excommunicationis censuram ferre.

Diximus in superioribus, duplicem esse
excommunicationem; à iure scilicet,
& ab homine: quæ diuisio ab efficien-
tibus causis sumpta est: duplex ergo est
causa efficiens excommunicationis;
scilicet ius, & homo: vel certe quia hoc ius non est
diuinum, sed humanum tantum Ecclesiasticum: ideo
simpliciter dici potest homo Ecclesiasticus, seu
potestatem habens Ecclesiasticam, causa efficiens
huius censuræ. Duobus tamen modis, scilicet vel fe-
rendo ius, vel ferendo sententiam vel in generali,
vel in speciali hanc poenam continentem. Vnde fit,
potestatem Ecclesiasticam proxime, ac per se neces-
sariam ad excommunicationem ferendam esse po-
testatem iurisdictionis Ecclesiastici fori contentio-
si. Nam hæc est proximum, ac per se principium ius
dicendi siue per leges, siue per sententiam, quamuis
non æqualis ad vtrumque modum: sed altior, &
maior iurisdiclio ad leges condendas, & consequen-
ter ad excommunicationem à iure ferendam, quam
ab homine, necessaria sit. Potestas autem ordinis per
se ad hunc actum non requiritur, quamuis iuxta ra-
tionabilem Ecclesiæ consuetudinem institutioni
Christi, & rerum naturis consentaneam, nunquam
illa iurisdiclio sine aliquo ordinis fundamento, vel
initio concedatur. Quæ omnia in superioribus tra-
ctata, & explicata sunt, & in eis conueniunt Theo-
logi in quarto, distinctione decima octaua, & Cano-
nicæ in cap. Cum ab Ecclesiæ, de officio ordinari-
& cap. Transmissam, de Elect. cum similibus, Na-
Fr. Suarez tom. 5.

A uarrus referens alios in cap. Cum contingat, de Re. Nauarr.
script. in 2. caus. nullit. nu. 27.

Circa ius, quatenus est causa huius censuræ, so-
lum occorrebat hic addendum, quæ sint illa specia-
lia iura, in quibus talis censura ipso facto contra-
henda fertur: nam cætera, quæ de hac causa in com-
muni sumpta, & de verbis necessariis ad hunc effe-
ctum, desiderari possunt, in disputatione 3. sectione
2. dicta sunt. Verumtamen ne hanc causarum ex-
communicationis tractationem, & cognitionem
obscuram, & prolixam reddamus, commodius erit
post consummatam doctrinam de excommuni-
catione maiori, omnes excommunicationes iure ipso
latas recensere, easque breuiter explicare.

De excommunicatione ab homine.

Circa excommunicationem ab homine præter
ea, quæ diximus de censura in communi, quæ
hic applicanda sunt, duo tantum addenda occur-
runt: primum est, an Parochi habeant aliquando
potestatem excommunicandi saltem pro aliquibus
delictis: nam quidam Doctores hoc eis tribuere vi-
dentur, vt patet ex Diuo Thoma in 4. distinctione
18. quæ. 2. art. 2. quæst. 1. quam refert, & sequitur Syl-
vester, Excommunicatio, 1. numero 5. ubi ait, ex offi-
cio tantum Episcopos hoc posse, tamen in furto, &
rapina, & similibus casibus à iure concessis, etiam
Parochos habere hæc potestatem quasi delegatam,
& ex commissione. Addit præterea Sylvester ex Ho-
stiensis, etiam in notoriis, quæ non indigent inquisi-
tione vlla, posse Parochos excommunicare. Imo
Glossa in cap. 29. quæst. 1. & in §. Hæc, post cap. Mira-
mur, vers. Cum ergo, 2. 4. quæstion. 1. dicit, quemlibet
Sacerdotem posse excommunicare. Sed hoc impro-
babile est: & illud etiam de Parochis est mihi incer-
tum, quia non inuenio ordinarium ius, vel scriptum
priuilegium, in quo fundatum sit. Nam cap. Cum
inhibito, §. Sane, quod citari solet, nihil probat, quia
ibi solum habetur, ad Parochi munus pertinere, De clande-
stina de-
prohibere clandestina matrimonia: quod autem id
sponsar.
possit sub hac censura prohibere, ibi non dicitur.

Quapropter generaliter statuendum est, parochos
non posse excommunicare, sed tantum Episcopos
iure quasi proprio. Quæ est communis sententia
cum Glossa in cap. Nemo, 2. qu. 1. tener Abbas in cap. Glossa,
Si Sacerdos, 2. de offic. ordinari. num. 10. & cap. Si quis
contra Clericum, num. 51. & ca. Cum contingat, num. 3. Nauarr.
de Foro competent. Nauarrus in cap. Cum contin-
gat, de Rescript. Soto in 4. d. 22. quæst. 2. art. 1. Quod
tamen extendendum est ad eos, qui iurisdictionem
Episcopalem participant ex speciali institutione,
aut priuilegio, vel etiam consuetudine. Quo solo ti-
tulo poterunt excipi aliqui Parochi, si alicubi sit
consuetudo, vt in aliquibus casibus possint excom-
municare, vt notauit Abbas in cap. 3. de offic. ordi-
narij numero decimo, nam consuetudo interdum
dat iurisdictionem, vt in superioribus tractatum
est. Illa vero seclusa, Parochi non habent iurisdic-
tionem in foro contentioso, neque in causa aliqua
iudicium ferre possunt: ergo nec sententiam ex-
communicationis.

Aliud punctum tractandum est de Episcopis, quo-
modo possint sententiam excommunicationis fer-
re, quæ completum habeat effectum. Et est ratio
dubij, tum ex parte excommunicati, tum ex parte a-
liorum fidelium. Ex priori quidem capite, quia ex-
communicatus ybique terrarum tenetur abstinere
ab omni fidelium communicatione, & à Sacramen-
torum, & aliorum diuinorum participatione; Epi-
scopus autem particularis non potest ferre legem,
que obliget subditos, qui extra suam diocesim ver-
santur: multo minus potest ferre legem, quæ ob-
liget subditam, etiam si domicilium mater: cum ta-
mea

2

Num Paro-
chi possint
excommu-
nicare.

D. Thomi
Syluest.

De clande-
stina de-
prohibere
sponsar.

Resolutio.

Glossa,
Abbas.
Nauarr.

Soto.

An Episco-
pus ferre pos-
sit senten-
tiam ex-
communica-
tionis, qua
habeat com-
pletum effe-
ctum.
Prior dubi-
tandi ratio.

Bb

mea